

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ

De

Professoribus Reg. Acad. Aboënsis, intra Sæ-
culum ab hujus Natalibus Primum
Designatis,
Pars Secunda,



Quam

Conf. Ampl. Facult. Philos. Reg. Acad. Aboënsis,
MODERANTE

MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

Eloqv. Professore Reg. & Ord. Equ. Ord. R. de Stella Polari,
R. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquitt. R. Societ.
Scient. Upsal. &c. Socio,

PRO GRADU


Publicæ honorum censuræ subjecit

JONAS BJÖRKDAHL,

Stip. Reg. Smolandus.

In Auditorio Majori die 6 Maji 1801.

Horis a. m. solitis.



ABOÆ,

In Officina FRENCKELLIANA.

DISSERTATIONIS ACADEMICAE

De

Professores Reg. Acad. Altorf. et
ceterum doctores Altorf. et
Magistri

Parti Secunda
~~_____~~

Quam

Conf. Aug. Franc. Reg. Acad. Altorf.
MODERANTE

MAG. HENRICO GARRIELLO
PORTHANI

Spec. Professori Reg. Acad. Altorf. et
R. Acad. Altorf. H. G. Altorf. et
Societ. Altorf. et

PRO GRADU

Tabulae honorum ceterum

JONAS BÖRKHARDT

et Reg. Altorf.

In Auditorio Majori die 6 Julij 1801

Hort. et Altorf.

ALBORI

In Officina Frenckenburgiana

FRIHERRINNAN
HÖGVÄLBORNA FRU
MARGARETA
HELENA
LYBECKER,
född HISING.

Den välgörande Ynness, som jag ägt den lyckan at erfarra under min kårta vistelse i FRU FRIHERRINNANS förnåma Hus, har ej mindre upfyllt mitt hjerta med den lifligaste erkänsla, än FRU FRIHERRINNANS ädla egenskaper tilvunnit FRU FRIHERRINNAN allmän högaktning och vördnad. Ur stånd fatt at på annat sätt tolka dessa känslor, har jag vågat med FRU FRIHERRINNANS Namn pryda dessa blad, för at tillika offentligen få ådagalägga den djupa vördnad, hvarmed jag, under outhärliga brinnande önsknigar för FRU FRIHERRINNANS och hela DESS förnåma Omvårdnads osbrutna fällhet, intil mitt yttersta framhärdar

HÖGVÄLBORNA FRU FRIHERRINNANS

Ödmjukaste tjänare
JONAS BJÖRKDAHL.

HANDELSMANNEN

i Wexiö Stad, HERR

GUSTAF WIDBERG,

samt FRU

BRIGITTA MARG.

WIDBERG,

född HAGELQVIST.

Med glädje skyndar jag at tilägna Eder dessa blad, dertill drefven at den förbindelse, hvori jag känner mig stå hos Eder, alt sedan jag under en längre tids vistelse uti Edert hedervärda Hus ägde den lyckan at vara et föremål för Eder ynnest och godhet. Minnet deraf skall alldrig hos mig ut-slockna; det skall altid vara förenadt med de varmaste önskningar för Eder och Edert värda Hus, hvars beständiga lycka och välgång skall hos mig väcka den lifligaste fägnad.

Med fulkomlig högaktning har jag den äran at framhärda

Eder

Ödmjuka tjänare

JONAS BJÖRKDAHL.



IV:0 **M**ag. JOHANNES *Olavi*, & cognomine & natione Dalekarlus, natus die 27 Februarii An. 1596, Patre *Olavo Petri*, tunc temporis Saccellano in Råttvik, & Matre *Margareta Johannis filia*, duro admodum usus est ætatis initio, cum ob magnam parentum inopiam, tum ob pestem, circa seculi XVII exordium in patria grassantem; qua utraque factum, ut An. 1607 ad Scholam Arosiensem demum mitteretur. Patre autem Pastore Ecclesiæ in *Bro* deinceps constituto, melior quidem facta est sua conditio; qua tamen diu frui ipsi non licuit, utroque parente, relictis septem Liberis, adhuc impuberibus, brevi post decedente. Ad Scholam Arbogiensensem se deinde conferens, sua ibidem industria magis, quam aliorum institutione ita profecit, ut Collega hujus Scholæ designaretur. Anno autem 1619 Academiam invisit Upsaliensem, totum, quo heic commorabatur, tempus litteris tribuens. Insequente anno, stipendium nactus Diocesanum, auspiciis atque comitatu Illustrissimi Regni Cancellarii D:ni AXELII OXENSTJERNA iter in Germaniam
C insti

instituit, celebrioresque ibidem Academias per triennium, & quod excurreret, frequentavit. Qua etiam occasione in eorum gratiam, qui rebus gerendis præerant, se dextre insinuavit, eorumque molimina ita est expiscatus, ut An. 1624. Holmiam appellens, gl. m. Rege *GUSTAVO II. ADOLPHO*, de interiori Germaniæ ac Daniæ statu ipsum interroganti, singula copiose exponeret, ab hoc proinde colloquio non absque multa gratiæ Regiæ testificatione dimissus. Eodem hoc anno Politices & Juris Patrii Lector in Regio Gymnasio Arosiensi (a) creatur; annoque insequente præstitis in Academia Upsallensi consuetis eruditionis speciminibus, Magisterii in Philosophia gradum obtinuit. Ingenti autem inscientiis proficiendi desiderio flagrans, necessitatibus suis tantum, quantum honeste potuit, ex annuo subduxit salario, ut exteris adhuc salutare posset Academias. Hoc diu meditatam iter, An. 1626. ad finem vergente, ingressus, hiemem Rostochii transegit, studio Juris operam præcipue impendens; visisque deinde nonnullis Borussiæ urbibus Rostochium repetiit, post annum absentiam Gothoburgum sine ulla fortunæ offensa appellens. Vernali autem tempore An. 1628. navi Bataviæ, ut in Angliam perveniret, se committens, ab Hispanis quidem captus, sed mox libertati restitutus, in Bataviam primum ac deinceps in Angliam se contulit, per duos menses Academias celebriores Cantabrigiensem & Oxoniensem frequentans; ex qua peregrinatione domum reversus, spartam

tam Lectoris sibi demandatam, impiger obivit, & variis in lucem publicam editis scriptis inclarescere cœpit. His factum, ut munus *Referendarii* in Cancellaria Regia ei An. 1630 offerretur; quod tamen, ut a suo ingenio, in litterarium studium propendente, alienum, modeste recusavit. Trimestri autem spatio vix elapso, gl. m. Rex *GUSTAVUS II. ADOLPHUS* ex pulvere Scholastico in Patriæ lucem illum producens, munus Assessoris in Regio Dicastrio Aboënsi eum obire his jussit verbis, ut Litteris vocationis significaret, se ægre laturum, si Regiæ voluntati hac etiam vice reluctari pergeret; quare sine ulla mora Aboam properavit. An. 1631 in Sveciam reversus, die 15 Augusti in matrimonium duxit Nobilissimam Virginem *Catharinam APPELBOHM*, Nob. Commissarii *Andree APPELBOHM de Söderby* filiam, ex qua filios quatuor, totidemque filias suscepit. Nuptiis celebratis, Aboam properans, munere sibi demandato tam impigre atque integre fungitur, ut Excellentissimus Regni Senator, & per Borealem Finlandiæ Nomarchiam atque Ostrobothniam Legifer, Liber Baro Dn. *JOHANNES SKYTTE* eum constitueret suum Sub-Legiferum. Quamvis autem muneribus ita non ornatus modo, sed oneratus etiam videri posset, attamen An. 1640 die 16 Martii simul a gl. m. Regina *CHRISTINA Juris* Professor in Regia Academia Aboënsi designatur; in quo triplici munere suis nunquam defuit partibus. An. 1642 ex mandato Regiæ Hol-

miam se contulit, cum tribus aliis ex Regni Dica-steriis delectis Viris *Ordinantiam Processus Forensis*, a Judicibus primæ instantiæ observandam confecturus; quod negotium ita fuit peractum, ut quatuor hi Themidis Ministri multam a Regina inirent gratiam. An. 1647 hic Vir Judex territorialis ditionis Orebyhusensis, & anno insequente Regiæ Revisio- nis Secretarius (b) fuit constitutus; insuper a Regi- na propter insignia in Patriam merita An. 1649 ho- nore atque privilegiis Nobilitatis ornatus, cognomen **STJERNHÖK** assumpsit, *Dominus de Käfwerstad* di- ctus, obtento in Equestri Palatio Holmensi loco 471. Insequente tempore, dum Regina secum constituisset, avitum abdicare solium, Regni Senatorem &c. Il- lustriss. Liberum Baronem **HERMANNUM FLE- MING**, dato ei in subsidium negotiationis *Nob. Stjernhökiö*, ad Principem Successorem **CAROLUM GUSTAVUM** misit, cum ipso de conditionibus, quas post factam abdicationem sibi reservatas voluit Re- gina, acturos. In ancipiti hoc rerum articulo ita se- gessit *Stjernhökius*, ut parem ab utroque Principe referret gratiam. Rex imprimis in suam eum ita admisit amicitiam, ut quoties graviores ad se de- volverentur controversiæ, *Stjernhökiö*, ad se voca- tum, de sententia, quæ sibi videretur æquissima, con- suleret. Et quamvis An. 1658 lumen oculorum a- misisset, jussit tamen Rex, ut in officio persisteret, si- mul permittens, ut filium sibi adiutorem sumeret, dato huic ex regni ærario sat lauto stipendio; patri
quo-

quoque An. 1666 titulum ac dignitatem *Consiliarij Aulici* tribuens. Lumine oculorum per septemdecim annos ad finem usque vitæ privatus, hanc calamitatem, pertinacibus forte lucubrationibus sibi acceleratam, patienter admodum tulit, vitam cum morte die 25 Junii An. 1675, tunc octogenarius, commutans, in Templo Siti Nicolai Holmiæ sepultus. Symbolum ejus fuit: *Vive, ut vivas*. Inter Scripta ejus, quorum mentionem faciunt SCHEFFER (c) & STJERNMAN (d), omnium judicio eminet Liber de *Jure Sveonum & Gothorum vetusto*, Holmiæ An. 1672 in 4:o editus, cujus prima jecerat fundamenta, Professoris munere in Academia Aboënsi fungens. Cæterum hospes verius Academicus, quam Professor fuit, gravioribus curis præsentiam suam & Holmiæ & alibi postulantis; quare nec Rectoratum Academicum, sibi licet aliquoties oblatum suscepit, nec ullum eruditionis suæ monumeotum heic reliquit. Addimus, nos pleraque jam allata ex Vita *Johannis STJERNHÖK*, concioni Funebri, quam in ipsum atque Filium *Olavum STJERNHÖK* An. 1676 die 10 Februar. habuit *OLAVUS SWEBLIUS*, Pastor Holmensis Primarius, postea Archiepiscopus Upsaliensis factus, adnexa, desumisse.

(a) Perhibet in citat. Dissertatione *ROLOTT*, *Johannem Dalekarlum*, antequam Professioni Juris admoveretur, fuisse Lectorem in Gymnasio Aboënsi, sed qua in re hallucinatur, (b) Vid. *Samling af Historiska Bref om det*

Svenska Regeringsfättet, Tredje Flocken p. 269. (c)
Vid. Sveciæ Litteratæ p. 133. (d) Vid. Bibliothecæ Svio-
Gotbicae p. 539.

V:o ERICUS *Danielis* ACHRELIUS, Rosla-
gius, Patre *Daniele Brynolphi*, Illustrissimi Senatoris
Regni Comitibus D:ni GABRIELIS OXENSTJER-
NA Prætoꝛe rurali, & Matre *Anna Nicolai filia*, die
15 Maji An. 1604 in Paroecia Åkers & pago Soolöö
progenitus. Litterarum studiis, quam primum te-
nera permisit ætas, animum applicuit, gnaviter o-
stendens, quantum ingenio & diligentia inter æqua-
les, quorum nulli erat secundus, valeret. Ad Scho-
lam igitur Upsaliensem mature scil. An. 1613 missus,
quam per duodecim annos frequentavit, An. 1625
in civitatem receptus est Academicam. Posthæc non
obstante re domi angusta, studiis sic dictis humanio-
ribus, Eloquentiæ & Historiæ, quibus præstantio-
ra sui ævi ingenia operam dicabant, se præcipue
tradidit, Matheseos simul culturæ se applicans; pro-
vectiore ætate, quoties ab aliis vacuus esset curis
ac negotiis, in illis suam quærens oblectationem.
Quum autem nulla ipsi præberetur occasio hac e-
mergendi via & idoneam spartam obtinendi, ad stu-
dium transiit Medicum, suas eidem lucubrationes &
observationes sub moderamine Cel. Professorum Up-
saliensium J. FRANCKENII & J. RAICI conse-
crans; nullum tamen suorum in his progressuum
publicum reliquit specimen, præter Orationem Up-
saliæ

salia An. 1627 habitam & in 4:o editam, de *Microcosmi structura, deque harmonica ejusdem cum præcipuis Macrocosmi partibus convenientia* (a), forte quod Dissertationum Academicarum divulgationem suæ non ferrent facultates; quare nec extera, qui mos Æsculapii filiis: ea sollennis erat tempestate, Lyceâ invisit. Interea tamen in Spectatissimo Viro DAVIDE SITHON, militum Præfecto, cujus filios in se susceperat educandos, Nutritium ac Patronum expertus est propensum ac beneficum. Quisnam primus ei fuerit gradus ad munus obtinendum, indagare non potuimus; attamen quum pauci sua ætate operam studio Medico impenderent, probabile est, felix *Achrelii* ingenium nec non sagacem in morbis curandis prudentiam, occasionem ei præbuisse, Medicinæ Professionem in Academia Aboënsi obtinendi: præsertim quum OLAVUS RIGELIUS, qui primus Medicinæ Professor in nostro Athenæo die 9 Aprilis An. 1640 fuerat designatus, præter opinionem non comparuerat, cui proinde *Achrelius* die 20 Septembr. An. 1644 successit (b). Provinciam Academicam impiger administravit, docendo tamen magis & medendo, quam scribendo occupatus; quare etiam nullum eruditionis suæ monumentum Aboæ, quantum nobis constat, reliquit. In præmeritam quoque suam laudem haud erit reticendum, illum sollicitam prædiorum Academicorum habuisse curam, eadem invisisse & ordinasse, ut salaria ex his rite solverentur, ceu Acta Consistorii Academicum docent.

docent. Conjugem An. 1642 duxit Episcopi Aboënsis ac Pro-Cancellarii ISAACI B. ROTHOVII filiam, MARGARETAM ROTHOVIAM, ex qua sex suscepit liberos, quorum quatuor obitum Patris anteverterunt, ei superstitibus unicâ filia ac filio DANIELE ACHRELIO, Eloquentiæ Professioni in Academia Aboënsi postmodum admoto. Magistratus Academici insignia semel tantum & quidem An. 1643 gessit, sæpius gesturus, nisi morbus & ingravescens senium intervenissent. Muneri Professorio postquam spatio undetriginta annorum laudabiliter præfuisset, die 17 Aprilis An. 1670, annoque ætatis 66 placide decessit.

(a) Vid. SCHEFFERI *Svec. Litterat.* p. 144. (b) Ita rem perhibet Nob. STJERNMANNUS in *Bibliotbec. Svec. Gotb.* p. 511. (c) Præcipua quæ heic attulimus *Vitæ Achreliane* momenta] partim ex *Programmate Martini MILTOPÆI*, partim ex Filii Dan. ACHRELII *Oratione Funebri in Patris obitum die 2 Maji An. 1670 habita*, utroque hoc Scripto in *Libro STJERNMANNI jam cit.* p. 571 & seq. occurrente, excerptimus.

VI:o Mag. MICHAEL Olai WEXIONIUS, Smolandus, in Smolandix Parœcia *Pjätteryd* dicta, Patre OLAO OLAI, *Angermanno*, Ecclesiæ in *Pjätteryd* Pastore, & Matre GUNNILA *Erlandi filia*, ex Nobilissima Familia STOLPE orta, die 19 Februarii An. 1609 prognatus. Annum ætatis octavum nondum compleverat, cum in Scholam mittebatur
Wexio-

Wexionensem, curæ *Mag. Johannis BAZII* tunc temporis Scholæ Rectoris, postmodum ad Episcopatum Wexionensem promoti, tradebatur. Et sicut felici ornatus erat ingenio, ita progressus ætatem suam longe antevertentes in hoc fecit Litterarum studio; dignus proinde habitus, qui honorifico munitus testimonio, An. 1626 ad Camenas mitteretur Upsalientes; in quarum contubernio suam eruditionis suppellectilem ita auxit, ut honores Magisteriales a Facultate Philosophica An. 1631 sibi oblatos, in solenni Promotione Anni 1632 consequeretur. Honestam dehinc inclarescendi occasionem quærens, ad Regni Architalassum Liberum Baronem CAROLUM GYLLENHJELM, faventissimum succrescentis Pubis Litteratæ Sveciæ Patronum, se contulit; a quo etiam, perspecta WEXIONII eruditione & industria, gl. m. Regi *GUSTAVO II ADOLPHO* meliorem quidem in modum fuit commendatus, propter intervenientem vero Monarchæ obitum, nihil profecit. Postquam GYLLENHJELMIUS deinde in mandatis accepisset, funus Regis ex Pomerania in Patriam classe transferre, *Wexionius* illum Wolgastum comitabatur; persuaderi tamen non potuit quum spes inclarescendi nulla appareret, ut apud hunc diutius remaneret Patronum. Impetratis igitur ab hoc Heroë litteris ad Illustrissimum Regni Cancellarium L. B. Dn. AXELIUM OXENSTJERNA, fœderis sic dicti Evangelici per Germaniam ea tempestate *Directorem Generalem*, commendatitiis, illius-

D

que

que stipendio auctus, ad hunc properat; in itinere autem Illustrissimum Campi-Mareschallum JOHAN-
NEM BANER venerabundus salutat, quem sua eruditione & facundia ita cepit, ut hic, quibus posset cunque modis, eum apud se retinere discuperet; *Wexionius* autem honorificam sibi oblatam occasionem summa, qua potuit, modestia recusans, culpam in litteras, quas secum ferret commendatitias, conjecit. Nec spes, quam de Illustrissimi Cancellarii gratia absens conceperat, ipsum præsentem fefellit; quippe qui postquam *Wexionii* ingenium ac morum probitatem cognovisset, advenæ huic proposuit, num iter cum filio suo, Comite Illustrissimo JOHANNES OXENSTJERNA per Galliam & Angliam ingredi, aut celebriores Germaniæ Academiæ invisere vellet, alteram hanc conditionem, ut suo, quo tenebatur, desiderio convenientiorem, elegit; quod non modo non ægre tulit *Hexos*, sed clientem suum insigni auxilio stipendio. Circa finem igitur An. 1633 eruditæ, sed ea tempestate periculorum plenæ peregrinationi se accinxit, nihil plane intermittens, quo suam in scientiis cognitionem perficere, atque regionum quas peragrabat, indolem ac statum Politicum sibi perspectum reddere posset, in Virorum proinde vel Eruditionis fama vel alia honesta de causa inelytorum familiaritatem se insinuans. Triennio apud exterarum Nationes hunc in modum peracto, per Bataviam & Daniam in Patriam revertitur, atque Magno suo Mæcenati, Illustrissimo Dn. GYLLENHJELM suum deferens

ferens obsequium, in hujus mox admittitur Cancellariam. Eam vero jam attigisse ætatem sibi videbatur, qua publicum quoddam impetrare posset munus, eo magis sibi tunc necessarium, quod die 24 Septembr. An. 1637 in matrimonium duxisset Virginem *Susannam CRUCIMONTANAM* (Sveth. *Korsberg*), Pastoris Ecclesiæ in *Algudsboda*, Smolandiæ Parœcia, Præpositi Mag. *Nicolai CRUCIMONTANI & Magdalena Christophori GRIP* filiam; Salarium vero, quod in Architalassi ministerio percipiebat, sumptibus Familiæ præstandis nequaquam sufficeret. Quam circumspeditionem æquissimam censens Heros, sua intercessione a gl. m. Regina *CHRISTINA* impetravit, ut Wexionius An. 1638 Scholæ Wexionensis Rector constitueretur. Biennio autem heic nondum transacto, die 9 Aprilis An. 1640 ad obeundam *Politices atque Historiarum Professionem* in Regia Academia Aboënsi, propediem constituenda, evocabatur, concessio ei loco inter Facultatis Philosophicæ Professores primo, primusque proinde nominatæ Facultatis electus est Decanus. Sequenti tempore An. 1647 infimul constitutus est *Juris Professor*, pro impigra duplicis muneris administratione duplex obtinens salarium. An. 1650 die 1 Junii a Regis Regnique Senatore, Generali Finlandiæ Gubernatore & Academiæ Aboënsis Cancellario, Illustrissimo D:n Comite *PETRO PRAHE*, ad mandatum Regiæ Majestatis, *Wexionius Juris utriusque Doctor* in æde Academica sollenniter renunciatur,

insuper die 19 Octobr. ejusdem anni in Ordinem Nobilium cooptatus, assumpto cognomine GYLLENSTOLPE, scribens se *Dominum de Jacola, Kerrenheem, Ingoisberg & Heimfors*. Posthæc Diplomate Regio, dato Thorunii die 21 Junii An. 1657, spartam Assessoris in Regio Dicasterio Aboënsi obtinuit, simul, ut docendi studio flagravit, subsceivas horas privatæ Juventutis Academicæ institutioni impendere aliquamdiu pergens. Septemdecim annorum spatio, quo docendi munere ad hanc Academiam fungebatur, terna vice Academiæ Rector fuit, scilicet Annis 1641, 1653 & 1654 Cujus singularis casus hæc fuit ratio: Theologiæ Professor *Georgius ALANUS* munus Magistratus Academicæ, a se An. 1652 gestum, ex tenore moris in Academiis Patriæ recepti, tradere debuit Juris Professori, qui tunc erat *Michaël Wexionius*, quod igitur factum; hic rursus suscepta provincia An. 1654 decessurus, scepra Academica committere tenebatur Medicinæ Professori *ERICO D. ACHRELIO*; qui vero ob valetudinem nimis fractam oblatum sibi Consulatum Academicum deprecabatur; quare Rectoratus Academicus ad primum Facultatis Philosophicæ Professore ordine devolvebatur, qui idem erat *Michaël Wexionius*, per biennium igitur eandem retinens provinciam. Decani quoque partes in Facultate Philosophica ter sustinuit. Adsunt præterea alia, eademque peculiariora Celeberrimi hujus Viri vitæ momenta, silentio a nobis haud prætereunda. Theologiæ Professore *Joan-*

ne *Elai* TERSERO ad par munus in Academia Upfalienti An. 1647 evocato, vacuam Theologiæ Professionem ambivit quidem *Wexionius*, sed spe sua dejectus, quod ægre admodum tulit Episcopus ac Pro-Cancellarius I. B. ROTHUVIUS, præsertim quum hic candidatus suos competitores eruditione superaret, suosque in Theologicis etiam progressus disputatione Synodali bene elaborata & publice nuper cum omnium applausu defensa de *Magistratu & Potestate Ecclesiastica* luculenter probatum fecisset. Cui autem nomine Facultatis Theologiæ respondit Archi-Præpositus Æ. PETRÆUS: omnes quidem eruditionem *Wexionii* Theologicam agnoscere, eum autem in censum non venisse, cum quod Juris Professioni nuperrime fuisset admotus, tum præcipue quod impræsentiarum nemo esset, qui isti muneri rite administrando æque par esset; proxima vero occasione *Wexionium*, si Professionem desiderare pergeret Theologicam, hanc obtenturum, qua etiam sententia hic acquievit. Præterea eodem die, quo *Wexionius* Juris utrius Doctor, ceu diximus, sollenniter fuit renuntiatus, eadem celebritate Doctoratus Juris insignia & jura, ceu Promotor, suo tradidit discipulo *Johanni* GARTZIO. Quin imo accidit etiam ei hoc peculiare, ut in Facultate Philosophica bina vice scil. An. 1647 die 4 Maji & An. 1653 die 3 Maji ceu Promotor, honores distribueret Magisteriales, promovendi munere Decano Facultatis cujusvis ista tempestate competente. Ex conjugè sibi di-

lethiflima duodecim habuit mutui amoris pignora, septem filios ac quinque filias; quorum liberorum quinque filii & tres filiæ parentibus suis fuerunt superstites; Patris autem laboriosæ vitæ finis die 28 Junii An. 1670, ætatis 62 fuit impositus. Denique addendum, præcipua vitæ **GYLLENSTOLPIANÆ** monumenta, in medium nunc allata, partim ex Concionis Funebri in *Michaëlem* **GYLLENSTOLPE**, Regii Dicafterii Aboënsis Assessorum, a Theologiæ Professore *Petro* **BÂNG** habitæ appendice, partim ex Consistorii Academici, aliisque, quorum copia nobis facta, actis esse deprompta.

Supereft adhuc, ut illa eruditionis specimina, Aboæ edita, quæ orbi reliquit Nobiliffimus *Michaël* **WEXIONIUS - GYLLENSTOLPE**, a nobis indicentur:

1:o Discursus Politicus de prudentia tum Legislatoria, tum Politica seu Civili, An 1642 in 4:o.

2:o Synopsis Oeconomix, ex publicis prælectionibus excerpta, & intra disputationis carceres redacta, utiliffimas ac jucundiffimas in hac materia quæstiones breviter decidens 1645 in 8:o.

3:o Ergasterion, sive Ergastulum virtutum, inter sepimenta Decalogi redactum; ubi simul viti-
rum

rum fomes, indignantur & propinantur, Resp. *Petro Andrea Bergio*, Sudermanno, 1646 in 8:o.

4:o Fasciculus quæstionum Ethicarum, nobiliores attingens controversias, cum succinctis earum solutionibus & distinctionibus usitatissimis, 1646, in 8:o. (Hi tres Tractatus, N:i 2, 3, 4, deinde recusi & una editi sunt, sub titulo: *Philosophiæ Practicæ Pars Prior*, ab 1653, 8:o)

5:o Ethicæ Præcepta cum controversiis illustrioribus brevissime coarctata, & Studiosæ Juventuti exhibita, An. 1646, in 8:o.

6. Theses Synodales de Magistratu & Potestate Ecclesiastica, Resp. *Mag. Michaële Furvelio & Michaële Matthæi*, An. 1647, in 4:o. (*LIDÉN Catalogus Disputationum &c. S. V, p. 4. P.)

Ad calcem hujus dissertationis habetur Carmen Lingua Latina a *Cel. Wexionio* die 30 Maji An. 1640, cum ad Littora Finlandiæ primum appulit, confectum.

7:o Rota Fortunæ, in Promotione Magisteriali, quæ secunda habita est Aboæ die 4 Maji An. 1647, circumacta & volutata, cum ipsis Promotionis ritibus & acclamationibus publice recitatis, An. 1647, in 8:o. Oratio hæc ad mandatum Illustrissimi Cancellaria-

cellarii, tunc præsentis, typis impressa, ut constat ex Actis Consistorii Academici die 28 Augusti 1647. Est quoque hæc panegyris ideo memoranda, quod Promotor unicuique Magistro honorem obtentum versibus Latinis seorsim gratuletur.

8:o Natales Academiae Aboënsis, Serenissimæ *CHRISTINÆ* Augustæ, Castrorum, Musarum & totius Patriæ Matri, prædictarum Athenarum fundatrici & Alarici Magnæ, Piæ, felici, humillime ac devotissime dicati & consecrati. Habita est hæc Oratio Aboæ die 30 Januarii 1646, edita 1648, in 4:o. Constat autem hæc partim descriptione sollennis inaugurationis Academiae Aboënsis in Finlandia, seorsum edita 1644, partim panegyri ob fundatam & ditatam Academiam Aboënsis Reginae *CHRISTINÆ* An. 1646 dicta. (* Recusa ib. 1680, 8:o, sive Panegyri Reginae. P.)

9:o Collegium Ethicum, præcipuas quæstiones & notabiliores controversias, in generali Philosophiæ Practicæ parte occurrentes, XIII disputationibus discussas & enodatas exhibens, An. 1649, in 4:o. (* Recusa ib. 1655, 8:o. P.)

10:o Oratio in auspiciatissimum natalem *CHRISTINÆ* Reginae &c. qua die 8 Decembr. An. 1649 sollennes Deo Omnipotenti grates ob restitutam Sveciæ & Germaniæ maximæque Europæ parti pacem

cem per uniuersa Sveciæ Gothiæque regna gratulationibus & lætitiæ signis sollennissime peraguntur, humillima deuotione gratulabundus accinit, in fol.

11:0 Epitome Descriptionis Sveciæ, Gothiæ, Fenningiæ & subjectarum provinciarum, accuratius quam unquam antehac edita, 1650, in 8:0.

Illustrissimus Academiæ Aboënsis Cancellarius, An. 1648, ceu ex Actis Consistorii ejusdem anni constat, injunxit Wexionio, ut librum conficeret, cuius ope Studiosa Juuentus ad pleniorē Patriæ notitiā posset peruenire; quo quidem modo edita ab ipso fuit hæc epitome, decem disputationibus proposita, & generales de Patriæ statu obseruationes continens. Perhibet quidem MORHOFIUS (a), hanc Epitomen fuisse prohibitam, idque ut asserit MOLLERUS (b), ob arcana quædam regni ibidem propalata; quod autem, iudice *Nob.* STJERNMANNO est falsissimum, quum talia in hoc Libro occurrant nulla (c).

12:0 Breuis Εἰσαγωγή ad studium Juris Civilis Sveco-Romani, cum collatione utriusque secundum tria objecta, studiosæ Juuentuti exhibita, 1650, in 4:0. (*Manu ductio ad studium Juris Sveco-Romani, Resp. *Joh. Gartzio* 1546, 4:0, & Collatio Juris Svecici cum Romano, per disputationes inchoata sed non absoluta, de quo utroque scripto sigillatim com-

E

memo-

mémorat **STJERNMANNUS** l. c. 565. cfr **SCHEFF-
FERI** *Sveciæ Literatæ* p. 152, non nisi partes sunt
ejusdem hujusce operis. P.)

13:o Epistola deambulationem ad argenti Fodi-
nas Occidentaliore ante annos XIII factam, brevi-
ter repetens, An. 1650, in 4:o.

14:o Paratitla in Jus Sveciæ Provinciale, quo-
rum pauca tantum folia (4½) sunt edita. (* Opus hoc
mancum constat Tribus Disputationibus, quæ con-
tinent. 1. Procœmium, Resp. *Nicolao Canuti Norelio*,
2. C. I & II, Resp. *Erico H. Lindquist, Wermel*. 3.
C. III & IV Resp. *Erico E. Falandro*. Cætera lu-
cem non videre publicam, aliis rebus intervenien-
tibus. Mancam etiam de hoc opere exhibet noti-
tiam **STJERNMANNUS** l. c. p. 566.

15:o Politicæ Præcepta, ad Statum imperii Go-
thico-Svecici accommodata, domesticisque passim e-
xemplis illustrata, quæ XII disputationibus compre-
hensa, Studiosæ Politicæ Juventuti in Regia Acade-
mia Aboënsi publice proposita sunt a *Mich. Wexio-
nio*, 1647, in 8:o.

Postea Auctor suum emendavit opus & XIX
disputationibus in 8:o auxit, hoc editum titulo: *Mich.
GYLLENSTOLPENS* *Politica ad modernum imperii
Svuo-Gothici statum accommodata*, domesticisque pas-
sim exemplis illustrata, quo genuina ejusdem facies
accuratius exprimat, nunc revisa, ad multorum vo-
ta publici iterum juris facta & ab Auctore prælo sub-
missa 1657, in 8:o. De hoc Libro ita scribit Nob.
STJERN-

STJERNMAN: *Politica NB Jubente Rege CAROLO GUSTAVO prohibita est, quia distinctio facta inter subditos. Et mere subditos, vel alia huic non dissimilis.* (d) Forte indicare voluit **STJERNMANNUS** Caput Polit. Cel. **GYLLENSTOLPE**, quod agit de *Subditis in genere, Et in specie de mixtis, id est partim obedientibus, partim imperantibus.* Titulum hunc esse perquam ineptum, nemo diffitebitur, quamvis res ipsa rite explicata sibi utcunque constet. Quicquid sit, incertum tamen est, an liber hic unquam fuerit prohibitus (e), quum hujusmodi interdicti nullum exstet vestigium vel in Regni Archivo, ceu accepimus, vel in Consistorii Academici Aboënsis Actis, ut certo novimus. Nec probabile est, auctorem altera vice hunc librum imprimere ausum fuisse, si interdictus idem antea fuisset. (*Cfr. **ALNANDER** Historia Libror. prohibitor. in Svecia, p. 14 seq. P.)

Ex tenore Catalogi Dissertationum, in Patria editarum, a b. mem. Professore **LIDÉN** concinnati, sub præsidio Cel. Professoris Mich. **WEXIONII** Dissertationes 135 Aboæ in publicam prodierunt lucem, quibus adhuc paucae, mox nominandae, quae nobis innotuerunt, superaddentur. In antecessum vero notare liceat, rubrum dissertat. IV. Politicarum a Cel. **LIDÉN** prætermissum, esse illud quod nuper indicavimus, *De subditis in genere &c. Resp. Bartholdo Joh. Lacmanno, 1645, in 8:o.*

Quae in memorato non comparent Catalogo sunt :

i:o De

1:0 De Appetitu sensitivo domando, Resp. *Ene-
waldo Svenonio, Smolando, 1645, in 8:0.*

2:0 Disp. Grad. Syntagma conclusionum qua-
rundam e Florilegio Philosophico continens, Resp.
Henrico H. Tavast, Aboënsi, 1647, in 4:0.

3:0 Disp. de Judiciis, Resp. *Benedicto Gust. Queck-
feldt, Sudermanno, 1652, in 4:0.*

4:0 Disp. Grad. Miscellanea Philosophica com-
plectens, Resp. *Henrico Carstenio, Nylando, 1653, in 4:0.*

5:0 Positiones Philosophicæ ex fragrantissimo
Philosophiæ viridario carptim collectæ; Resp. *Da-
niele B. Rosander, Smolando, 1654, in 4:0.*

6:0 De Philosophia in genere, & Practica in
Specie, summo bono civili, actionibus item huma-
nis; Resp. *Johanne Andr. Strethovio, Smolando, 1656,
in 4:0.*

16:0 Oratio de Bibliothecis in genere, & in
specie de Bibliotheca Academiae Aboënsis, habita An.
1654, sed impressa An. 1657, in folio.

- (a) Vid. *hujus Polybistoris Tom. II. p. m. 495.* (b) Vid.
Hypomnemata ad SCHEFFERI Svec. Litterat. p. 394.
(c) Vid. *Biblioth. Svec. Goth. p. 565.* (d) Vid. *Libr.*
modo citat. p. 566. (e) Consuli etiam potest Cel. *ARC-
KENHOLTZ Memoires de Cbristine, Tom. I. p. 327.*